



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad  
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo  
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

**Borromeo, Carlo**

**Brixiae, 1603**

Formula facultatis pro officio cantoris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10502**

hibendā eleemosinā largitatem in domino hortentur; quod cū fecerint, sciant quidquid de temporalibus facultatibus, in pauperibus opem ferendo demiserint, id omne multiplicatum in eterna retributione recepturos. Präsentibus tamen post . . . minimè valuturis. In quorum fidem. Dat.

Formula facultatis pro officio  
Cantoris.

CAROLVS &c. Dilecto nobis in Christo. Tibi N. homini laico, cuius vita, & mores, per testificationes nobis factas, probantur: his nostris litteris permittimus, præ clericorum in opia, cantoris in Ecclesijs huius vrbis, & diecesis, exceptis illis quæ Monialium sunt, munus suscipere. Quo munere dum vel intus in Ecclesia, vel foris, ob Missæ, diuinorum officiorum, funeralium, processionum, aliarumque ecclesiasticarum actionum celebritatem fungeris; has Ecclesiastice disciplinæ leges tibi præscripsumus.

Vt scilicet clericali habitu, ad nostrorum Conciliorum præscriptum, tunc temporis in illis Ecclesiasticis officijs actionibusve vbique semper vtaris.

Camisias non ad collum, nec ad manus crispatas, & caligas item clericali more induas.

Non solùm vestitu, sed vitæ etiam moribus clericalem modestiam præferes.

Superpelliceum mundum, non lacerum, & ad formam constitutionibus nostris præscriptam induas.

In diuinis officijs nè profana cantica adhibeas.

In Missæ conuentualis sacro, ingressas, gradualia, offertoria, & alia id generis canas, quæ ex Ecclesiæ instituto, ad eam sacrificij Missæ actionem, quæ fit, propriè accommodata sunt.

Si quando autem, quo tempore sacerdos secreta agit, aliquid canendum videbitur, ne quidquam canas, quod etiā illi actioni aptè conueniens, nobis non ante probatum sit.

Itidemque quod ad probationem at-

tinet, in alijs diuinis officijs serues.

In sacris canticis, molles flexiones, voces magis gutture oppressas, quam ore expressas, & denique lasciuam omnem canendi rationem caueas.

Cantibus vtaris, qui graues sint, pij, ac distincti, & domui Dei, diuinisque laudibus accommodati, vt simul & verba intelligentur, & ad pietatem auditores excitentur.

Quæ de modulandi ratione, cantibusve adhibendis, ac disciplina in hoc munere seruanda, Provincialibus, diecesanisve Concilijs, ac tabellis nostris prescribuntur, aut prohibentur, diligenter serues.

Has autem nostra, per . . . tantum tibi suffragari volumus. Dat. in eisdibus nostris Archiepiscopalibus Die . . . Mense . . . anni . . .

Formula literarum peregrinationis  
pro laicis hominibus.

CAROLVS &c. Dilectum filium N. nostræ Mediolanen. . . . visitan, proficiisci volentem, cum nobis ex R. eius Parochi attestacionibus constet, ipsum nuper sacramento pœnitentiæ munitum, ac sacrosancta Eucharistia refectum esse, his nostris testimonialibus literis cum benedictione dimicimus; omnibusque ac singulis fidelibus plurimum in Domino commendamus. Dat. &c.

Formula literarum peregrinationis  
ad vrbem Iubilei causa pro  
ijsdem laicis.

CAROLVS &c. Dilectis in Christo N. N. Exposuitis nobis, vos Iubilei causa ad sanctam vrbem, etiam de Parochi vestri consilio, peregrinari vellet; ac propterea ex veteri Canonum instituto nostras testimoniales literas expetitis. Nos igitur sanctum animi vestri propositum pietatemque commendantes, & vobis in Domino benedicentes, has testimoniales nostras literas damus, quarum facultate vobis liceat, ubique cuicunque confessario Sacerdoti

ti